

Johann Gabriel Pries


**De LXX Interpretibvs : Qvvm Ad Natalem ... Domini Friderici Dvcis Regnantis
Meclenbvgici, ... A. MDCCLXVIII. D. IX. Novembris. Feliciter Redevntem ...
Orationibvs Festvm Celebrandvm ... Invitaret**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1768]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881588385>


Druck Freier  Zugang





MK-9453. (2)





DE
LXX INTERPRETIBVS.

112

Q V V M

AD NATALEM
SERENISSIMI DVCIS ATQVE PRINCIPIS,
DOMINI
FRIDERICI

DVCIS REGNANTIS MECLENBURGICI,
PRINCIPIS VETVSTAE GENTIS HENETAE, SVERINI
ET RACEBURGI, COMITIS ITEM SVERINENSIS,
TERRARVM ROSTOCHII, ATQVE STARGARDIAE
DYNASTAE,

DOMINI ET NVTRITORIS NOSTRI
CLEMENTISSIMI,

A. MDCCLXVIII. D. IX. NOVEMBRIS.

FELICITER REDEVNTEM

PVBLICEQVE IN GYMNASII AVDITORIO MAIORI
SOLLEMNIORIBVS ORATIONIBVS

FESTVM CELEBRANDVM
PATRES VTRIVSQVE REI PVBLICAE

OFFICIOSISSIME INVITARET,

PAVCA PRAEFATVR

M. IOANNES GABRIEL PRIES,

DVCALIS GYMNASII GVSTROVIENSIS
RECTOR.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS

IN
LXXVINTA PAGES

AD IN A T A L E M

THESE PAGES ARE NOW PRINTED

DOMINI

R R I D E R I C I

THESE PAGES ARE NOW PRINTED
BY THE UNIVERSITY OF ROSTOCK
IN THE YEAR 1885

DOMINI ET PATRIAE NOBIS

IN HOC ANNO

THESE PAGES ARE NOW PRINTED
BY THE UNIVERSITY OF ROSTOCK


IN A T A L E M

THESE PAGES ARE NOW PRINTED

IN A T A L E M

THESE PAGES ARE NOW PRINTED

IN A T A L E M



uemadmodum infinita alia Dei Optimi Ma-
 ximi beneficia, ita hoc in primis immor-
 tali est retinendum memoria, quod san-
 ctissimam suam de nostrae aeternae salu-
 tis via et ratione voluntatem voluit per
 litteras significare. Collatum vero id fuit in Ebraeorum gentem,
 qui istius, qua viri diuini, a Spiritu S. agitati, fuerunt vsi, linguae
 notitia erant instructi. Sed, postquam ignorantiae tempora efflu-
 xerint, immensae eius placuit sapientiae, doctrinas caelestes de
 seruando genere humano per orbem terrarum, quam late patet,
 promulgare, luce diuina gentes, quae in densissimis erant tene-
 bris, collustrare, et in vnitatem fidei congregare. Quare non sine
 singulari Dei prouidentia factum esse arbitror, vt Sancta Scriptura
 ex ebraeo, qui per paucorum modo erat, in graecum, omnibus



fere gentibus communem et familiarem, conuerteretur sermo-
nem. Quanto hinc omni aetate, et apud Iudaeos, et christianos,
fuerit in pretio haec omnium antiquissima versio, quam vocant,
siue ab administratorum numero, qui huic operi biblico adhibiti
fuisse dicuntur, siue a Synedrii, quod Alexandriae, aequae ac Hie-
rosolymis fuit, adprobatione et consensu LXX-viralem, com-
memorare nimis longum foret. Iudaei Alexandrini illam in coe-
tibus sacris, et publice in templo Heliopolitano praelegebant,
Palaestinarum exemplo adducti, textum qui hebraicum recitabant,
interprete adstante, chaldaice qui redderet, quae ex fonte lector
recitasset 1). In insula Pharo, quae septem ab Alexandria dista-
bat stadia, ubi haec versio confecta esse dicitur, in eius memoriam
dies festi anniuersarii a Iudaeis, et aliis, illuc transmeantibus age-
bantur 2). Patrum quoque nonnulli, quum litterarum hebraica-
rum essent rudes atque ignari, nec versionem possent cum ipso
fonte conferre, ab eodem, qui in vatibus sacris fuerit, interpretes
septuaginta fuisse inspiratos Spiritu, hincque versionem eam, qua
nunquam per errorem lapsa fuerit, auctoritatem esse tribuendam
putarunt 3). Quare et graeci Patres in conciliis, in quibus de fidei
diui-

1) Erat Iudaeis Alexandrinis templum
in Aegypti praefectura Heliopolitana,
summus Pontifex Onias, reliqui Sacer-
dotum et Levitarum ordines, et plane
idem sacrificiorum, caeremoniarum, ri-
tuumque factorum cultus. Vid. Iose-
phus Antiqu. Libr. III. Cap. 6. et de
bello Iudaico Libr. VII. Cap. 30. Rich.
Simonius in Histor. Crit. Vet. Test. Lib.
II. Cap. 18. et Wolfius in Biblioth.
Hebr. P. II. Sect. VI. p. 445.

2) Vid. Ioh. Leusdenius in Philolo-
go Hebraeo p. 182. seqq. Iustianus
Martyr Paraenesi ad Graecos pag. 14.
tradit, se vidisse τὰ ἴχνη τῶν οἰκί-
στων ἐν τῇ Φάρα ἔτι σωζόμενα. Sed
vereor, ne ab Alexandrinis credulitate
fuerit deceptus.

3) Isaacus Vossius de transl. LXX,
et Ludov. Cappellus contendunt, textum
hebraicum esse corruptum, et deprava-



diuinius capitibus fuit certamen, et in suis scriptis ea semper vfi fuerunt, sicuti latini latina, ex graeca facta versione 4) Sed quid opus est humanis testimoniis? Spiritus Sanctus in conscribendis noui foederis libris iis in locis, quibus ipsius menti non refragatur, eam fuit sequutus, nosque ad eam omni studio et cura legendam admonet atque impellit 5).

Versio haec iussu et auctoritate Ptolomaei Philadelphi, Aegypti Regis, cui Demetrius Phalereus, custos bibliothecae regiae suasisse fertur, vti ad augendam rem librariam libros Iudaeorum sacros graece transferri curarer, a Iudaeis, e Palaestina accersitis composita esse dicitur 6). Sunt vero non paucae rationes, quae nos in contrariam facile adducunt sententiam. Demetrius, ne quid dissimulemus, erat abunde eruditus, et satis idoneus negotio. quod cura bibliothecae, quae teste Ammiano Marcellino Libr. XXII. ad septuaginta millia excreuerat volumina, requirebat. Erat enim Theophrasto praeceptore dignissimus discipulus, qui et multitudine librorum, et numero ordinum omnes superauerit Peripateticos, doctissimus ipse, et peritissimus omnium confessione 7).

Minus

tum, hinc ex versione graeca corrigendum. Vid. Hottingerus in Thesauro Philologico p. 335. seqq. et Ioh. Buxtorfius in Anticrit.

4) Ioh. Ernest. Grabijs in Dissert. de variis vitijs LXX. Interpret. versioni ante Origenis acuum illatis, et remedijs, Oxonii 1710. et in Prolegom. Singulis Tomis codicis Alexandrini, ab ipso editi, praemissis.

5) Vid. Abrah. Calouius contra Ioh.

Morinum in Crit. Sacr. p. 727. et Anton van Dale Dissert. Super Aristaeae Cap. XXIII. p. 178.

6) Iosephus haec refert. Libr. XII. Cap. XI. Antiq. Iudaic. Eusebii de Praeparat. Euangel. Cap. II. et multi alij, qui Aristaeae fide nituntur.

7) ita Diogenes Laertius in eius vita: πλήθει βιβλίων, καὶ ἀριθμῷ σίχων σχεδὸν ἅπαντες παρελήλακε τὰς

▲ 3

κατ'



Minus autem veri simile nobis esse videtur, Peripateticum hunc Philosophum eum legi nationis valde contemptae, et Philosophiae plane rudis habuisse honorem, ut translatione dignam haberet, quum diuinus ille Moses historia sua de orbis terrarum ortu et creatione omnem Peripateticorum euerteter doctrinam, et Demetrio, ab Aristotelis eiusque discipuli ore pendenti, non potuerit non displicere. Nec haec potest sententia conciliari cum ea, qua ipsi erat conflictandum, fortuna. Hic enim, quum a Cassandro, Macedonum Rege Atheniensibus praeficeretur, et tantam ob merita in rem publicam sibi conciliaret gratiam, ut populus 360. statuas, quot dies annus tum haberet, ei decerneret, ciuium invidia, qui oligarchiam aequo non ferebant animo, pressus, exsul ad Ptolemaeum Lagi, Aegy-

κατ' αὐτὸν περιπατητικὸς, εὐπαί-
 δευτος ἂν, καὶ πολὺπειρος παρ'
 ὄντων. Saepius Demetrii Phalerei mentionem iniicit Cicero. In oratione pro C. Rabirio: Demetrium ex re publica Athenis, quam optime gesserat, et doctrina nobilem, et clarum, qui Phalereus vocitatus est, in eodem isto Aegypti regno, aspide ad corpus admodum, vita esse priuatum. Libr. I. de officiis Cap. I. Demetrius Phalereus disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Et denique Libr. III. de legibus Cap. 6. Phalereus mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum, otioque non modo in solem, adque puluerem, sed in ipsum discrimen aciemque perduxit. Nam et

mediocriter doctos, magnos in re publica viros, et doctissimos homines, non nimis in republica versatos multos commemorare possumus. Qui vero vtraque re excelleret, ut et doctrinae studiis, et regendae ciuitati princeps esset, quis facile praeter hunc inueniri potest? Libellus, isque elegans de Interpretatione ei adscribitur, de quo Fabricius in Bibl. Graeca Vol. IV. p. 423. est consulendus. A multis vero Demetriis facile distinguitur, addito Phalerei nomine. Nominat viginti Laërtius, quibus plures addit Menagius. Sic Demetrius Syrus fuit Ciceronis praeceptor. Ita enim hic in Bruto Cap. XC. eodem tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem, non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam.



Aegyptium Regem, Olymp. CXVIII. 2. c onfugit. Regi tum, a quo benigne et humanissime fuit exceptus, et in rebus magni momenti saepius in consilium adhibitus, suavit, vt filio Cerauno, quem ex Eurydice haberet, non filio Beronices, qui postea Philadelphus dictus fuit, regnum daret. Quod vero consilium Demetrio fuit exitio. Philadelphus enim, patre fatis functo, huius consilii auctorem omni statim priuauit honore, et in exilium expulit, in quo eodem anno aspidis morfu interiit. Quae quum ita sint, vti doctissimi viri ex Hermippo apud Laertium demonstrant, e quibus Scalligerum in Eusebium num. MDCCIX., et Humfred. Hodium, Anglum, de Biblior. textibus Original. versionibus graecis et Lat. Vulg. Libr. IV. allegasse sufficiat: quomodo Demetrius ille Phaleus Prolemaei Philadelphi bibliothecae custos et collector esse potuit, qui iam primo eius anno et captus et mortuus fuit 8)?

Tam laeta rerum iudaicarum facies sub mitissimo Regum Aegypti imperio sine omni dubio Iudaeis dedit occasionem, siue in gratiam popularium, siue suasu et hortatu rudiorum, qui inscii erant litterarum ebraicarum, siue pietate priuata, celeberrimam illam conficiendi versionem. Nam ea aetate insignis erat in Aegypto Iudaeorum multitudo. Iam enim tempore Ieremiae Assyriorum metu quam plurimi in Aegyptum aufugerant Cap. XLII. seqq. Multos Alexander M. in urbem Alexandriam, a se conditam,

8) Vterque Vossius, pater, et filius, tiorum fecit Hermippus, inferiorem, sacerorum librorum versionem, curante quem subbibliothecarium barbaram vo- Demetrio, factam esse eo tempore, que cant, fuisse contendunt. Sed argumen- simul regnarint Ptolemaeus Lagi, et tis, non inani coniectura est pugnandum. Philadelphus. Humfeld vero Prideaux Vid. Gerh. Ioh. Vossius de Histor. Graec. Demetrium supremum bibliothecae prae- Libr. I. Cap. XII. lectum, Zenodotum vero, cuius men-



ram, abduxerat, qui iisdem, quibus Macedones, vti sunt priuilegiis. Post mortem Alexandri Ptolemaeus Lagi Aegypto potitus centum millia hominum ex Iudaeis et Samaritanis in captiuitatem eo misit. Quorum quam fidem esset expertus, ius quoque ciuitatis pari cum Macedonibus conditione iis dedit, sacramento omnes sibi devinxit, et magna in eos fuit liberalitate et munificentia 9). Maiori vero Ptolemaei filius successor, Ptolemaeus Philadelphus Iudaeos fuit complexus beneuolentia 10). Is enim, quos pater sub

9) Refert haec Iosephus l. c. Libr. XII. Ptolemaeum Lagi Hierosolyma sabbato die, quo religio Iudaeis erat, arma capere, occupasse, quod apud eundem ipse Agathargides Cnidius irridens, exprobrauit, quod, quum superstitionem colerent, libertatem amisissent. Dicitur Rex urbem ingressus, *ὡς θύσαν*, quasi sacrificaturus esset. Hinc dubium non est, quin et librorum quoque notitia a Iudaeorum colonia, quam in Aegyptum secum ducebat, educeri potuerit, antequam Demetrius, ille Atheniensium exsul in Aegyptum venerit, iudaicarum rerum vel parum, vel minime consultus.

10) Adscribit huic Regi opus illud diuinum, et auspiciatissimum Eusebius in Histor. Eccles. Libr. V. Cap. VIII. alii vero denegant, inducti eius impietate, cui parricidium, fratricidia, incestum, et alia scelera obiiciunt, quasi sit indignum, sub auspiciis eiusmodi

hominis sacras litteras in gentium linguam exire. Sed iis satisfecit Humfred Hodius l. c. Cap. XIX, negando parricidium, defendendo fratrum supplicia, tanquam rebellantium, excusando incestum, consuetudine et more gentium, et ita quoque alia mitius interpretando vitia. Censet potius ex Athenaei testimonio Libr. V. Cap. V. Philadelphum Ptolemaeum, *τὸν παντ' ἄριστον* fuisse, et Libr. XII. *πάντων σεμνότετον γινόμενον τῶν δυναστῶν*, vt sic non dubitet, Philadelpho deberi et bibliothecae consummationem, et curam legis iudaicae in graecam versae linguam. Quae sententia non reiicienda esse videtur, quum ab Athenaeo Libr. XII. laudatur Rex *παιδείας εἰ τις ἄλλος, καὶ αὐτὸς ἐπιμεληθεὶς*, et Libr. I. dicitur, a Neleo quodam Aristotelis liberos emisse, et bibliothecae Alexandrinae intulisse.



sub iugum miserat, in libertatem voluit vindicare, sed quam plurimi, religionis vbertate et fertilitate illecti, ibi remanere, quam redire in patriam maluerunt. Quid igitur est mirum, quod sub tam mansueto regimine res iudaicae, disciplina, eruditioque secundum legis praecepta efflorescere coeperint, Iudaeorumque magistri doctrinam caelestem huius versionis subsidio omnes per regiones, quae solem spectant orientem, propagare studuerint? Nos hic diuinam admiremur prouidentiam! quae sic praelusit doctrinae Iesu, optimi nostri Servatoris, ab eius amicis per orbem terrarum annuntiandae claritati, vti diluculum antecedit, seu tenuis lux et dubia, praenuntia maioris et fulgentissimae. Quid igitur opus est Demetrii Phalerei studio, consilio et cura? quid litteris Ptolomaei Philadelphi ad Eleazarum, summum Pontificem? quid Regis legatis? quid septuaginta duobus interpretibus, ex Iudaea accersitis? et quid denique tam miris circumstantiis? quibus versionem hanc graecam consignatam esse nobis persuadere voluit, ille Aristaeas II).

Alexandrinis, non Palaestinis Iudaeis hanc versionem esse tribuendam, ex dialecto Alexandrina viri eruditi probarunt. Siclum hebraicum vertit *διεραχμων*, Genes. Cap. XXIII. 16. Siclus autem

II) Vid. epistola eius ad Philocratem fratrem, quae integra ad nostram peruenit aetatem, et Iosephi Operibus edit. Lips. subiuncta, et seorsim Oxonii 1692. in 8. excusa. Non negari potest, Aristaeae epistolam satis esse antiquam, et Ptolemaeorum in Aegypto aetatem attingere, si vera et genuina

sunt Aristobuli apud Eusebium Praep. Euangel. Libr. XIII. Cap. XI. fragmenta. Sed fabulis aequi rerum existimatores istam accensent, dum non auctorem gentilem, ac graecum, sed Iudaeum prodit, id quod Humfr. Hodius et Antoon van Dale l. l. c. c. satis probarunt.

B



antem iudaicus paria faciebat cum tetradrachmo Attico, aequae ac cum *διδραχμῶ* Alexandrino, quod talentum Alexandrinum duplex esset ad Atticum I Reg. Cap. XX. v. 39. Vocem *שֵׁטֶל* in pectorali Aaronis per *ἀλήθειαν*, non secundum litteram *τελειότητα* reddiderunt. Exod. Cap. XXVIII. v. 30. Leuit. Cap. VIII. v. 8. Deut. Cap. XXXIII. v. 8. Nam Aegyptiorum indices suspensam de collo imaginem, ex Sapphiro confectam gestabant, quae, testibus Aeliano et Diodoro Siculo, *ἀθήθεια* vocabatur 12). Annus vero natalis huius versionis vix accurate definiri potest. Alii enim circiter annis trecentis ante Christi nativitatem, alii ante C. N. anno 277. alii in Olympiadis CXXIII. anno ultimo et CXXIV. primo, alii in Olymp. CXXIII. anno tertio et quarto, h. e. ante aera christiana vulgarem anno 286 et 285 esse compositam contendunt 13) Sed longe certius est, librorum diuinorum diuersos fuisse interpretes. Nam vnus eiusdemque vocis diuersa est expositio. Nomen *נֶחֱמִיָּה* Nehem. Cap. X. v. 16. *Ἀδανία* I Reg. Cap. I. v. 5. *Ἀδανίας* I Chron. Cap. III. v. 2. *Ἀδανία υἱὸς Ἀγγιδ*, 2 Sam. Cap. III. v. 4. *Ὀδανία υἱὸς Ἀγγιδ* vertitur. Eadem quoque diuersitas ex appellatiuis patet vocabulis. Vox *לֶבֶן* Exod. Cap. XXVIII. v. 42. redditur per *λίνα* Dan. Cap. X. v. 5. *Βαδδιν*, Cap. XII. v. 6. *Βαδδιν*,
et

12) Nonnulli quoque viri eruditi adferunt vocem *שֵׁטֶל*, quam graeca versio exprimit per aegyptiacam mensuram, *σιφί*, Leuit. Cap. V. v. II. et I. Sam. Cap. XVII. v. 17. vti per *μέτρον* Deuter. Cap. XXV. v. 14. et *πέμμα* Ezech. Cap. XLVI. v. 7. II.

Sed vox *σιφί* originis ebraicae nobis esse videtur.

13) Vid. Ioh. Leusdenius in Philolog. Ebraeo - Mixto p. 15. Humfr. Prideaux l. c. Vsserius in Annal. pag. 469. et Hodius l. c. p. 91.



et I Sam. Cap. II. v. 18. *βάρ*, litteris γ et η inuicem permutatis. Alius fuit legis Mosaicae interpres, alius librorum Iudicum et Ruthae. Abundant enim vocabula *ἐγὼ εἰμι* in his, quae in Pentateucho sunt rariora, v. g. Iudic. Cap. V. v. 3. *ἄσομαι ἐγὼ εἰμι τῷ Κυρίῳ*, Cap. VI. v. 18. Cap. XI. v. 27. Ruthae Cap. IV. v. 4. Alius fuit Psalmorum translator, alius librorum historicorum, quod ex Psalmo XVII. et 2 Sam. Cap. XXII. satis apparet. Ecclesiasticae interpres mirum quantum! idiotismis ebraeis fuit addictus. Voculam *σύν* casui quarto saepe praemittit, vt Ebraeorum סִנְ exprimeret, quae et accusatiui articulus et praepositio cum est, v. g. Cap. VII. v. 29. *ἐποίησεν ὁ θεὸς σὺν τὸν ἄνθρωπον ἐνθῆ*, Cap. VIII. v. 15. *καὶ ἐπήρξα ἐγὼ σὺν τῆν εὐφροσύνην*, v. 17. *καὶ ἶδον σὺν πάντα τὰ ποιήματα τῶ θεῶ* — — — *σὺν τὸ ποίημα τὸ πεποιήμενον* etc. Alius fuit Iobi interpres, scribendi enim adhibet genus, poëtis familiare. Necdenique omnes Prophetarum libri ab vno eodemque interprete possunt esse translati. Nitide et accurate vertit interpres Ezechielis et Amosi vaticinia, propius illi Obadiae translator accessit, sed Iesaias sese indignum nactus fuit interpretem. Danielis versio Theodotipni a multis viris eruditis adscribitur iuxta epigraphen, quam in vetustissimo Renati Marchalli Prophetarum codice sustinet: *Δανιὴλ κατὰ Θεοδοτώνα*, sicuti iisdem Cantici versio Symmacho tribuenda esse viderur (14).

Disputatum quoque fuit inter eruditos, solumne Pentateuchum, an libros propheticos et hagiographos versio illa fuerit

14) Vid. Hørdius l. c. Libr. II. Cap. Ioh. Gottlob Carpzovius in Critica S. 4. p. 110. et, qui eum sequutus est, V. T. Part. II. Cap. II, p. 493.



amplexa? Tempore Christi, et eius amicorum omnes ac singulos veteris Testamenti libros graece translatos fuisse, qui dubitet, arbitror fore neminem, Sed quum lex Mosaica tantum in Iudaeorum Alexandrinorum scholis fuerit publice lecta; vero simile est, primum de lege graece vertenda Iudaeos cogitasse, donec temporis progressu reliqui libri succederent diuini 15). Difficilior vero est illa quaestio, vtrum hodie supersit illa graeca versio? Eandem esse, quae fuit Christi aetate, euincunt noui Testamenti loca ex veteri adducta, et Patrum, quae et quoad verba cum versione conueniunt graeca. Nec legimus, aliam vnquam ab ecclesia christiana in eius locum esse substitutam. Sed genuinam integram ac minus corruptam esse eam, nemo facile in dubium vocabit, qui cogitet, non sine prodigio et miraculo fieri posse, vt tot seculorum spatio, tot librariorum incuria et negligentia, et tot aduersis bonarum litterarum ac veterum codicum fatis plane nullam subierit mutationem. Sic in Psal. XXIX. v. I. locutio: **בְּנֵי אֱלֹהִים** in graeca versione vertitur et per *υιοι θεων* et *υιοι κριων* quae lectio librariorum

15) Siracides in Prologo scribit, non solum νόμον, sed etiam τὰς προφητάς, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων in versione aliquid differentiae habere ab ebraeo codice. Et Iosephus Proo- mio Antiqu. Iudaic. εἰς δὲ πᾶσαν τὴν ἀναγραφὴν ἀλλ' αὐτὰ μόνον τὰ τῆ νόμου conuersa tradit. Inde ergo non probari potest, exemplar illud, quod in regia bibliotheca fuisse putant, et quod bello Alexandrino fuit combustum, omnes libros veteris testamenti fuisse complexum. Recte sentit Ioh. Buxtorfius in Antierit. P. II. Cap. VIII. Dubitant, inquit, praestantissimi auctores, tam veteres, quam recentes, imo, quid dico, dubitant? indubitanter pronuntiant, LXX Seniores Ptolemaeo non vniuersam scripturam, sed solam legem Mosis transtulisse, reliquos a variis, et variis temporibus esse translatos, ac fortassis non ita peritis, vt LXX, illi fuerunt.




brariorum confusionem fatis clare arguit. Sic addita est vox *δικαιο* Psal. XXXIV. v. 17. et exempla detractionis sunt Ierem. Cap. XXXI. v. 8. Cap. XXXIII, v. 14. et Cap. XXXIX, v. 4-14. Interpretibus haec sane non sunt tribuenda, sed et temporum iniuria, et librariorum culpa, qui, quae erant orae et margini adscripta, in textum receperunt. 16).

Omnium vero difficillima et superiori et nostra quoque aetate fuit quaestio de codice, ex quo facta sit versio graeca, ebraeo, vtrum chaldaico, an Samaritano? Aristaeae qui nituntur testimonio, ne vnquam dubitarunt, quin codex fuerit ebraeus. Hic enim Iudaeorum magistros et nomina enumerat, qui ad Regem Aegyptiorum ab Eleazaro, summo Pontifice fuerint missi. Sed certiora et clariora argumenta adferri possunt. Iam supra a nobis fuit probatum, Iudaeos Alexandrinos eo animo conscripsisse versionem, vt in Synagogis publice praelegeretur, et domi pietatis studio inferiret. Nemo vero prudens, et aequus rerum existimator sibi persuadere potest, Iudaeos, qui sibi soli sapientes visi fuerunt, ex
ver-

16) Inter Opera Lightfooti recentur *λεῖψανα* in rebus ad graecam versionem spectantibus; quo in tractatu *σφάλματα τῶν* ὁ ad sequentia referuntur capita. Inaniter dicta, periculose decurtata, sensum clarum obfuscantia, vitiantia pulcrum, reddita in sensum alienum, traditiones Iudaicas redolentia, hebraica retenta, reddita pro fama gentis, pro fama textus, para-

phrases, propria nomina facta adpellatiua, numeri male calculati, locorum nomina recentiora, vocales male lectae, litterae male lectae, sensus foedatus, variatio nominum, versus male coniuncti &c. Exemplis haec illustrare, operae, vix erit pretium. Patet ex his, quid de iis sit sentiendum, qui ebraeum textum, tamquam a Iudaeorum magistris interpolatum, ex hac versione emendandum esse arbitrantur.



versione, quam textu Sacro longe inferiorem esse non ignorabant, ipsi fonti praetulisse. Accedit praeterea, quod interpretes illi quam plurimis Sacrae Scripturae locis litteras ebraicas, sibi affines, inuicem permutarint. Ingentem collegit Hottingerus in Thef. Phil. p. 358. sqq. eiusmodi errorum numerum, vnde pauca modo adferemus exempla. Pro כ legerunt modo ג Jerem. Cap. XXXI. v. 32. כַּעֲלֵתִי כַּס, LXX. ἡμέλησα, גַּעֲלֵתִי, quae etiam lectio retinetur a Paulo, Hebr. Cap. VIII. v. 9. modo ד, Ezech. Cap. XL. v. 2.

נָבֵר — עִיר מְנֹבֵב, ὡς ὁ κοδομή πόλεως ἀπέναντι נָבֵר.
 Pro ד legerunt ר Psal. XIX. v. 14 מְנֹבֵב, LXX. ἀπὸ ἄλλο-
 τριων, leg. מְנֹבֵב, Ezech. Cap. XXIV. v. 16. מְנֹבֵב LXX
 φυλάξω, quasi מְנֹבֵב sicut pro ד, ד. Genes. Cap. III. v. 17.
 Cap VIII. v. 20. Psal. LXXIV. v. 3. Pro ה ה, legerunt פ.
 XXVIII. v. 2. Jerem. Cap. XLVIII. v. 2. Pro י legerunt י, Ef.
 Cap. XXXVIII. v. 14. סוס equus, LXX סוס hirundo. Sufficiant
 haec. Nos inde ita colligimus: Cuius codicis litterarum affinitate
 et similitudine decepti sunt interpretes, ex eo versio graeca est
 descripta. Nulla enim alias reddi potest ratio, vnde illa litterarum
 confusio oriri potuerit, quae tamen satis clara et perspicua est, si
 codex fuit vulgaris, ac litteris vacillantibus scriptus. Iam vero
 litteras inter ebraicas est tantum haec similitudo et affinitas. Ex
 fonte igitur hebraico, non vero ex turbidis rivulorum lacunis ὅς ὅ
 interpretes suam traduxerunt versionem.

Sed paullo attentius virorum eruditorum singulas de hoc co-
 dice disquiramus sententias. Philo ille Iudaeus, qui ex lingua chal-
 daica



daica legem Mosis in graecum translata esse sermonem asserit, refragari videtur. Tantum vero abest, ut nobis repugnet, ut potius eandem tueatur causam. Nullam enim per chaldaicam linguam intelligit, nisi ebraeorum. Nomina enim ebraica: Henoch, Sarah in libro de Abrahamo mox chaldaica, mox ebraica appellat ξ et in Libr. III. de vita Mosis, scribit de festo Paschali: τὸ χaldaϊστὶ λεγόμενον πάχα, quod in libro de Decalogo vocat lingua patria, vel hebraea, Pascha 17). Vberiori denique disquisitione digna est eorum sententia, qui pro codice Samaritano pugnant 18). Pugnant autem omnes illi, qui Samaritanum characterem librorum V. T. fuisse primum, genuinum, et antiquissimum, cuius in locum ab Esra ille Ebraicus, seu quadratus fuerit substitutus, contendunt. Potiora, quibus haec acies docta certat, argumenta sunt numi Samaritani, quorum nonnulli tempora Davidis et Salomonis attingunt, circa Hierosolyma effossi, et vrbis Sanctae inscriptione insigniti, codex denique ille Samaritanus, quem Sacerdos adtulerit, Samaritanos legis notitia imbuendi causam,

17) Vid. Brianus Waltonus in Apparatu biblico. p. 321. et van Dale l. 6. Cap. XXII. p. 174. seqq.

18) Certant pro hac sententia Scaliger, Casaubonus, Grotius, Waltonus, Cappellus, Ioh. Gerh. et Isaac Vossii, Basnage, Lud. de Dieu Comment. in S. Matth. Cap. 19. v. 5. Ioh. Seldenus de mari clauso p. 37. Guil. Postellus in tabulis linguor. tab. 2. Guil. Whistonus in tentam. restaurandi genuinum textum V. T. p. 48. Auctor Nouveaux

Eclaircissement sur l' Origine et le Pentateuque des Samaritains, à Paris 1760. Hassencamp Dissert. de Pentateucho LXX interpretum graeco, non ex hebraeo, sed Samaritano textu conuerso, Marb. 1765. Car. Franc. Houbigant in Proleg. in Sacr. Scripturam, quem refutauit Sebald. Rapius D. Theol. et L. L. O. O. Prof. Ord. Ultraiecti 1765. Vid. Summe reuer. D. Ernesti Biblioth. theol. Part. VI. p. 593. seqq. et Part. VII. p. 78. seqq.



sa, antiquis regionis istius characteribus exaratus, qui deinceps in hac gente permanferit, et tandem maior versionis graecae Alexandrinae cum codice Samaritano, quam cum ebraico. Cetera praetereo silentio argumenta, quae numerum tantum faciunt. Paucis ad singula respondeamus! Numos ad tantam non pertingere vetustatem, iam euicit Spanhemius in Oper. de Praest. et vsu Numism. Sed detur, quicquid tenditur, an inde colligendum est, Ebraeos illo caractere solo vsos fuisse, huncque eundem fuisse, quo lex olim exarata, quoque reliqui libri conscripti? Nonne esse potuerunt litterae vulgares huius gentis similes illis, quae apud Samaritanos obtinuerunt, et aliae Sacrae, quadratis similiores? Nonne e celeriori studio scribendi orrae esse possunt, quas Samaritani a Iudaeis acceperint aetate Assamonaeorum, magisque intortas reddiderint? Nos illis longe grauiora in medium adferre possumus. Gens illa iudaica ab omni tempore rerum, a patribus traditarum, adeo fuit tenax, vt Efram scripturam veterem mutasse et innouasse nunquam esset passura. Erat praeterea Ebraeorum gens in Aegyptum, Assyriam, Mediam, et alias, quae solem spectant, orientem, gentes dispersa, vt ab antiqua forma scribendi non potuerit reuocari. Nec denique quum littera Iod in Alphabeto Samaritano sit maxima, in scripturae ebraicae formam quadraret dictum domini nostri, Optimi Seruatoris Matth. Cap. V. v. 18. Alterum quod attinet argumentum, precarium sane, ac dubium esse videtur. Nihil enim est caussae, quae impediatur, quo minus populus iste legis Mosaicae notitia imbui et instrui potuerit. Sed reclamant denique: graecicum versionem magis congruere cum codice Samaritano, quam ebraico. Cogitent vero velim, quanta sit codicis huius graeci cum ebraico consensio, quum tanta fuerit eius aberratio, quae sane non ex confusione litterarum Samaritanarum,
Sed



sed ebraicarum affinium potuit oriri. Cogitent, quaeſo, varias huius conſenſus verſionis graecae cum codice Samaritano eſſe cauſas et rationes. Ex quo enim poſt conditum templum Oniae He- liopolitanum inter Palaeſtinos et Aegyptios Iudaeos exorſit aemu- latio, Alexandrini in illorum odium propius ad Samaritanorum acceſſerunt partes, hincque data opera ſcripturam graecam magis ad Samaritanum attemperarunt codicem, nec purum et illibatum reliquerunt, vt a maioribus acceperant. Altera denique huius conſenſus cauſa repeti poteſt, ex Origenis Hexaplis, aut Octaplis. Hic enim per Obeliſcos, Aſteriſcos, Lemniſcos, Hypo- lemnicoſ, poſthaec a librariis neglectos et omiſſos, plane effecit vt ex Symmachi, natione Samaritani, primum ad Iudaeos deficientis, et poſtea Ebionitarum ſectam ſequentis, et Theodotionis, primum Chriſtiani, poſtea Apoſtatae Iudaei, et Aquilae verſioni- bus integrae laciniae in textum *ראו ו* irreperent, a textu ebraico alienae, quin et multa commata, vel hemiſtichia priſtinae verſio- nis graecae his Samaritano-Graecis locum concederent. Gemina hinc haec textui graeco illata vis effecit, vt verſio graeca Samari- tanum codicem potius referret, quam ebraeum, quem a principio ſine omni dubio fatiſ accurate expreſſit.

Scribendi finem hic fieri iubet Sereniſſimi noſtri D V C I S FRIDERICI, optimi patris patriae, Natalis auſpicatiſſimus. Iam Muſae noſtrae parant Sacra, et quanta ſit de FRIDERICI noſtri ſalute et proſperitate omnium ciuium congratulatio, quanta laetitia, craſtino die hora quarta poſt meridiem publice teſtabun- tur. Sequenti vero ordine facient verba:

I. Fridericus Iohannes Thede, Grabouienſis, Ducis regnantis
Natalem carmine indicet germanico.

C

11. Hen-



- II. Henricus Christianus a Flohr, Gustrouienſis, de gloria Domus Meclenburgicae, ex connubiis maxime conſpicua, oratione dicet germanica.
- III. Ioachimus Henricus Vogel, Gustrouienſis, Patrem Patriae optimum, FRIDERICVM Ducem noſtrum clementiſſimum, carmine canet latino.
- IV. Ioachimus Chriſtophorus Tarnant, Gustrouienſis, de Principe nimis ſeuero, orationem habebit germanicam.
- V. Iohannes Chriſtophorus Schmidt, Leuino-Meclenburgicus; populum et beneficiis et metu eſſe regendum, oratione probabit gallica.
- VI. Chriſtianus Vollrath Hane, Teterouienſis, difficile eſſe, bene imperare, oratione probabit latina.
- VII. Enoch Petrus Zander, Gustrouienſis, quaestionem; vtrum difficilius ſit, ſe regere, an aliis imperare? Oratione proponet germanica.
- VIII. Fridericus Suſemihl, Schwincendorffio - Meclenburgicus, Symbolum Imper. Rom. Caligulae; oderint, dum metuant, carmine perſtringet latino.
- IX. Ioachimus Fridericus Zoch, Ribnitzienſis, Scytarum Sapientiam de bonae indolis Principe, Curt. Libr. VII. Cap. 8. admiratur, et denique pro Ducis noſtri ceſſiſſimi, FRIDERICI, ac totius domus Meclenburgicae felicitate et ſalute vota carmine perſoluet germanico.

Facit



Facit autem comprobata nobis tot tantisque argumentis Maecenatum, Patronorum, Fautorum et Amicorum, Musis nostris exoptatissimorum indulgentia et propensior voluntas, in primis pietas in Deum optimum Maximum, et FRIDERICVM, optimum Ducem, vt diem Nouembris nonum felicissimum nobis et laetissimum fore splendidissima auditorum frequentia signatum, augurer.

P. P.

GVSTROVIAE D. VIII. NOVEMBRIS


A. R. S. MDCCLXVIII.



Tacti autem comprobata nobis tot tantisque argumentis
ceterum, Patronorum, Patronum et Amicorum, Nihil nobis
exoptabilissimum indigentia et propulsor volente, in
pictis in Deum operibus, et TRIDUUM, qui
mum Ducem, ut dicitur, nonnullis hinc inde
laetissimum fore spectabilissimum audientium spectantibus
auguror.

P. P.
GVSTROYAE D. VII. NOVEMBERIS
A. R. S. MDCCCLXXIII





als auf den Staat seyn. Er wird einer zügellosen
heit, woraus Spaltungen, Sectirerey, Verfol-
d Notten entspringen, mit sanftmüthigem Ernst
hun. Er weiß es, daß die Religion, die Christus
dem Staate gute Bürger, arbeitsame, aufrichtige,
ehrliebe und rechtschaffene Unterthanen verschaffet.
es, daß die so theuer erworbene Bekenntnißbücher
irche eine Schutzwehr unsrer Ruhe und Sicherheit
onsübungen sind. Er wird daher diese gegen alle
ngen in seinen Schutz nehmen. Dem Höchsten
! daß wir noch in so manchem Minister, von dessen
Weisheit und Klugheit die Wohlfahrt ganzer
abhänget, einen Freund Christi, der seiner Reli-
e macht, hochzuschätzen, das Glück und die Freude

dieser Betrachtung giebt mir die milde Stiftung,
thätige Gesinnung Sr. Excellenz des Hochwohl-
en Herrn, Herrn Christian Ulrich von Ke-
— — — gegen unsern Musentempel Gele-
Nach diesem Institut, welches dem Herrn Gehei-
zum unvergeßlichen Ruhm gereichen wird, soll das
t der Reformation des großen Luthers am 31sten
durch eine deutsche Rede, welche der Feyer dieses
maß ist, vor den öffentlichen Lehrstunden dem Höch-
Preise jährlich erneuert, und unter fleißige und ge-
schüler Bücher ausgetheilet werden. Keine Zeit
wohl mehr die Erneuerung dieser Wohlthaten, wel-
seiner Kirche erwiesen, als eben die gegenwärtige,
e von so vielen verkannt werden. Der Herr Ge-
th hatte im vorigen Jahre sein funfzigjähriges Amts-
auf einem seiner Rittergüter gefeyret, und war
n von dem Allerhöchsten mit vieler Munterkeit des
und Leibes gesegneten hohen Alter von einer zahl-
reichen

